

金剛般若經

Vajracchedikā-prajñāpāramitā-sūtra

Orsa de Sapientia Adamantina

seu de Sapientiae Adamantinae Excellentia

vulgo

Orsa Fulguralia

seu

Adamanticon

dicta

in sinicum vertit

Cumaraius Indicus

Tricanonicus Magister

in latinum vertit

Christophorus Ferrarius

emendavit edendaque curavit

Alexander Ricius

Parisiis

MMXI

Orsa Fulguralia

seu

Adamanticon

A lingua sinica in latinum vertit Christophorus Ferrarius Lusitanus
Recognovit typisque mandandum curavit Alexander Ricius Lotharingius

Ita audivi : quodam tempore Evigilatus erat in regno Savaeis, in Gildae bosci Orbidatoris hortis, comitante magna monachorum turba, hominibus mille trecentis. In illo tempore Mundi Honoratus ad prandii horam, pallio indutus catinumque tenens magnum Savaearum oppidum intravit ad cibos mendicandos. Cum per oppidum gradatim mendicavisset, ad locum principialem reversus cibum sumpsit. Dein pallio catinoque collectis, pedes lavavit atque instructa sede consedit. Tunc temporis grandaevus Subutius qui inter magnam turbam erat e sede surrexit, umerum dexterum tantum denudavit, genu dextero terram tetigit, conjunctis palmis veneratus Evigilato submisit ait :

O res perrara, Mundi Honorate ! Adventor salvatores bene protegit, salvatores bene exhortatur. Mundi Honorate, ut generosi filii filiaeque generosae eximiae rectae aequae evigilationis mentem deplicent, quomodo versari, quomodo mentes domare oportet suas ?

Respondit Evigilatus : Optime, optime, Subuti ; sicut dicis, Adventor salvatores bene protegit, salvatores bene exhortatur. Nunc lucide audi, tibi enim expositurus sum quomodo versari, quomodo mentes domari oporteat ut generosi filii filiaeque generosae eximiae rectae aequae evigilationis mentem deplicent.

– Etiam, Honorate, audire cupimus optamusque.

Evigilatus Subutio retulit : Salvatores magnanimi ita mentes suas doment oportet :

Cunctorum generum animantes, sive ab ovo sive ab utero sive ab umore sive a phantasia nati, sive speciem habentes sive speciem non habentes, sive notiones habentes, ego efficio ut omnes aphantiam sine relicto intrent eosque in extinctionem transfero. Ita innumeros anarithmos infinitos animantes in extinctionem transfero, at alethine nullus ens translationem in extinctionem adipiscitur. Quanam de causa ? Subuti, si salvatori personae signum, hominis signum, animantis signum, aetatis signum adest, is igitur salvator non est.

Insuper, Subuti, salvatores oportet in firmaminibus ne versentur dum eleemosynam exercent. Ne scilicet in speciebus versentur dum eleemosynant ; ne in vocibus odoribus saporibus tactibus firmaminibus versentur dum eleemosynant. Subuti, ita salvatores eleemosynare oportet neque in signis versari. Quanam de causa ? Si salvatores in signis non versantur dum eleemosynant, innumerabilia erunt eis merita decora. Subuti, quid de hoc sentis : num aether ad orientem supputari possit annon ?

– Nequitur, Mundi Honorate.

– Subuti, num aether ad austrum, occidentem, boream, ad quattuor regiones, sursum deorsumque supputari possit annon ?

– Nequitur, Mundi Honorate.

– Subuti, ita prorsus supputari nequeunt salvatorum merita decora qui in signis non versentur dum eleemosynant. Subuti, salvatores nonnisi in eis quae docentur versari oportet.

Subuti, quid de hoc sentis : signisne corporeis aspici possit Adventor annon ?

– Non, Mundi Honorate, signis corporeis aspici non potest Adventor. Quanam de causa ? Quae ab Adventore exponuntur signa corporea scilicet signa corporea non sunt.

Evigilatus Subutio retulit : Plerumque quae exstant signa omnia decepta sunt ; si vides signa non esse signa, Adventorem vides.

Subutius Evigilato submisit ait : Mundi Honorate, si plures animantes audire contingunt tales locutiones sententiasque, alethinamne fidem gignent annon ?

Evigilatus Subutio retulit : Ne haec verba feceris. Postquam extinctus erit Adventor, annos post quingentos, erunt qui praecepta servabunt prosperaque exercebunt, in his sententiis fidelem mentem gignere poterunt, easque pro alethinis habere. Scies hos homines haud tantum apud unum Evigilatum neque duos tresve quattuorve evigilatos bonas radices sevisse, immo jam apud innumera milia decies milia Evigilatorum bonas radices sevisse. Qui, auditis his sententiis, vel unius momenti puram fidem genuerint, Subuti, Adventor omnino novit omninoque videt eos animantes talia innumera merita decora adipisci potuisse. Quanam de causa ? Quia his animantibus jam absunt personae signa, hominis signa, animantis signa, aetatis signa ; absunt firmamina signa atque absunt non-firmaminum signa. Quanam de causa ? Hi animantes si mente signa ceperint, tum persona homine animante aetate adhaerent ; si firmaminum signa ceperint, tum persona homine animante aetate adhaerent. Quanam de causa ? Si non-firmaminum signa ceperint, tum persona homine animante aetate adhaerent. Qua de causa

nec firmamina capiant oportet nec non-firmamina capiant oportet. Quem propter sensum, Adventor semper exponit : Vos monachi, nostis firmamen a me expositum rati comparandum esse ; et firmamen quidem rejiciendum est, nedum igitur non-firmamen.

Subuti, quid de hoc sentis : utrum Adventor eximiam rectam aequam evigilationem adeptus sit, an Adventor quod exponat firmamen habeat ?

Respondet Subutius : Quoad ab Evigilato expositorum sensum intellegam, non est certum firmamen quod eximia recta aequa Evigilatio nominetur, neque est certum firmamen quod exponere possit Adventor. Quanam de causa ? Quod Adventor exposuit firmamina omnia neque capi neque exponi possunt ; neque firmamina neque non-firmamina sunt. Quamobrem ? Cuncti scilicet sapientes sanctique infecto firmamine nisi discrimina praehibent.

Subuti, quid de hoc sentis ? Si quis mundi trimiliarii septenis thesauris repleti eleemosynandi causa usus erit, plurane is adipiscetur merita decora annon ?

Subutius ait : Plurima, Mundi Honorate ! Quanam de causa ? Haec merita decora scilicet decorum naturae prorsus non sunt. Qua de re Adventor merita decora multa esse exponit. Quod si porro ex his orsis sustentaverit quis vel tetrastichum ut aliis exponat, merita haec illa superabunt. Quanam de causa ? Subuti, cuncti Evigilati atque Evigilatorum eximiae rectae aequae evigilationis firmamina ex his orsis omnia existunt. Subuti, quae vocant Evigilati firmamina scilicet Evigilati firmamina non sunt.

Subuti, quid de hoc sentis : num possit Influxus putare quia « Ego Influxus fructum adeptus sum » annon ?

Subutius ait : Non, Mundi Honorate. Quanam de causa ? Influxus scilicet « qui fluxum intravit » significat, at non est quo intret. Species, voces, odores, sapes, tactus, firmamina non intrat atque Influxus nominatur.

Subuti, quid de hoc sentis : num possit Unireditus putare quia « Ego Unireditus fructum adeptus sum » annon ?

Subutius ait : Non, Mundi Honorate. Quanam de causa ? Unireditus scilicet « qui semel abit et redit » significat, at alethine neque abit neque redit. Is Unireditus nominatur.

Subuti, qui de hoc sentis : num possit Irreducus putare quia « Ego Irreducus fructum adeptus sum » annon ?

Subutius ait : Non, Mundi Honorate. Quanam de causa ? Irreducus scilicet « qui non veniet » nominatur atque alethine sine adventu est, quapropter Irreducus nominatur.

Subuti, quid de hoc sentis : num possit archon putare quia « Ego archontis fructum adeptus sum » annon ?

Subutius ait : Non, Mundi Honorate. Quanam de causa ? Alethine non est firmamen quod archon nominetur. Mundi Honorate, si archon quis putet quia « Ego archontis viam adeptus sum », adhaereat scilicet persona, homine, animante, aetate. Mundi Honorate, asserit Evigilatus me supremum esse inter eos qui imbellem recollectionem adepti sint, me scilicet libidinibus decisis archontem esse. Mundi Honorate, si putarem quia « Ego archontis viam adeptus sum », tum Mundi Honoratus non assereret me eremiticis exercitationibus delectari, neque me, cum

alethine non esset quod exercebam, propter eremiticarum exercitationum delectationem famosum esse.

Evigilatus Subutio retulit : Quid de hoc sentis, num Evigilatus quondam apud Luciferum Evigilatum aliquid firmaminis habuerit quod adeptus sit annon ?

– Mundi Honorate, Evigilatus apud Luciferum Evigilatum e firmamine nihil alethine adeptus est.

Subuti, quid de hoc sentis : num salvator Evigilati terram ornet annon ?

– Non, Mundi Honorate. Quanam de causa ? Ipsum Evigilati terram ornare scilicet ornatio non est ; hoc ipsum ornatus nominatur.

Quapropter, Subuti, salvatores magnanimi ita puram mentem gignant, ne in specie versantes mentem gignant. Ne in voce odore sapore tactu firmamine versantes mentem gignant ; ne in illo versantes hanc mentem gignant. Subuti, id homini comparatur qui corpore talis sit qualis Rex montium Sumerus. Quid de hoc sentis : num corpus ejus grande sit annon ?

Subutius ait : Grande admodum, Mundi Honorate. Quanam de causa ? Evigilatus scilicet exponit non-corpus nominari grande corpus.

– Subuti, si tot flumina essent quot arenae numerarentur in Ganga, quid de hoc sentis : num multae essent horum fluminum arenae annon ?

Subutius ait : Multae admodum, Mundi Honorate, nam permulta jam innumeraque flumina essent, nedum eorum arenae.

– Subuti, ego nunc alethinis verbis tibi id refero : Si generosi filii filiaeque generosae existant qui septenis thesauris quales tot mundos trimiliarios impleant quot sint in Ganga flumine arenae eleemosynandi causa usi erunt, multane merita adipiscuntur annon ?

Subutius ait : Permulta admodum, Mundi Honorate.

Evigilatus Subutio retulit : Si generosi filii filiaeque generosae ex his orsis vel tetrastichum sustentaverint ut aliis exponatur, haec merita decora illa superabunt. Prorsus Subuti, si horum orsorum vel tetrastichum consequenter exposuerint, scies in hoc loco eis cuncti mundi deos homines titanos eadem monumenta ac Evigilatis oblaturus esse. Quanto magis si homines tota sustentare recitareque potuerint. Subuti, scies tales homines supremum primore perrarum firmamen perfecisse. Ubi haec orsa fuerint, ibi censendum est existere Evigilatum seu illius veneratos discipulos.

Tunc temporis Subutius Evigilato submitte ait : Mundi Honorate, orsa illa quid nominabimus, quomodo illa colemus ?

Evigilatus Subtulio retulit : Orsa haec Fulguralis Sapientiae Excellentia nominantur. Hoc nomine ea coles. Qua de ratione ? Subuti, quam Evigilatus exponit sapientiae excellentia scilicet sapientiae excellentia non est. Subuti, quid de hoc sentis : num Adventori sit firmamen quod exponat annon ?

Subutius Evigilato submitte ait : Mundi Honorate, Adventori nihil est quod exponat.

– Subuti, quid de hoc sentis : multaene atomi quae mundo trimiliario insint annon ?

Subutius ait : Permultae admodum, Mundi Honorate.

– Subuti, atomos Adventor exponit non atomos esse, easque atomos nominari. Adventor exponit mundum non mundum esse eumque mundum nominari. Subuti, quid de hoc sentis : num triginta duobus signis Adventor aspici possit annon ?

– Immo, Mundi Honorate. Triginta duobus signis Adventor aspici nequit. Quanam de causa ? Adventor triginta duo signa exponit non signa esse eaque triginta duo signa nominari.

– Subuti, si generosi filii filiaeque generosae sint qui tot vitas corporales quot in Ganga flumine sint arenae eleemosynent, ac si porro homo sit qui ex his orsis vel tetrastychum sustentet ut aliis exponat, hujus merita permulta admodum erunt.

Tunc temporis Subutius haec orsa exposita audiens, horum sensuum tenorem profunde intellexit atque inter fletus lacrimasque Evigilato submitte ait : Perraro Mundi Honorate, tales valde profundas scripturas exponit Evigilatus. Equidem jamdiu sapientiae oculum adeptus sum, at nondum talia orsa audire potui. Mundi Honorate, si porro homines existant qui haec orsa audire possint in cordis fide ac puritate, tum alethinum signum gignent. Sciendum est tales homines primoria perraraque merita perfecturos esse. Mundi Honorate, illud alethinum signum scilicet non-signum est, qua de causa id Adventor alethinum signum nominat. Mundi Honorate, nunc ego tales scripturas audire potui fideque intellexi, sustentatu adeo difficile non est.

Si posthac annis quingentis animantes existant qui orsa haec audire possint fideque intellegere sustentareque, homines hi primores erunt perrarique. Quanam de causa ? Illi scilicet si-

ne personae signo, hominis signo, animantis signo, aetatis signo erunt. Qua de ratione ? Personae signum scilicet non-signum est ; hominis signum, animantis signum, aetatis signum scilicet non-signa sunt. Quanam de causa ? Cunctis signis exempti scilicet Evigilati nominantur.

Evigilatus Subutio retulit : Ita est, ita est. Si porro existant qui haec orsa audire possint neque obstupescant neque timeant neque metuant, sciendum est tales perraros admodum esse. Qua de causa, ? Subuti, Adventor exponit primam excellentiam non esse prima excellentiam eamque primam excellentiam nominari. Subuti, patientiae excellentiam Adventor non patientiae excellentiam esse exponit. Quanam de causa ? Subuti, sicut olim cum a Cali rege membra dilaniarentur mea, tunc temporis mihi personae signum hominis signum animantis signum aetatis signum non fuerat. Quanam de causa ? In hoc praeterito tempore cum singuli artus dissecarentur, si personae signum hominis signum animantis signum aetatis signum exstitissent, iram odiumque concipere debui. Etiam, Subuti, praeterita commemoro, quingentis ante generationibus, cum Hypomenon eremita per aliquot generationes sine personae signo hominis signo animantis signo aetatis signo essem. Quapropter, Subuti, salvator cuncta signa eximat ut eximiae rectae aequae evigilationis mentem deplicet. Ne in speciebus versatus mentem concipiat ; ne in vocibus odoribus saporibus tactibus firmaminibus versatus mentem concipiat. Mentem gignat quae in nullo versetur. Quod si menti versatio exstiterit, tum non-versatio facienda est. Quapropter exponit Evigilatus non debere salvatores mente in specie versari ut eleemosynent. Subuti, salvatores ut cunctis animantibus benefaciant ita eleemosynare debent. Adventor exponit cuncta signa scilicet non-signa esse, etiam exponit cunctos animantes non-animantes esse. Subuti, Adventor vere lo-

quens est, alethine loquens est, taliter loquens est, haud fallaciter loquens est, haud aliter loquens est. Subuti, quale Adventor adeptus est firmamen, tali firmamine et alethinum abest et inane abest. Subuti, si salvator corde in firmaminibus versatus eleemosynam exerceat, similis sit hominis tenebras intrantis ; nihil est scilicet quod videat. Quod si salvator corde in firmaminibus non versatus eleemosynam exercet, similis est hominis oculos habentis qui splendente solis luce omnium generum species videt. Subuti, si in futuris generationibus exstiterint generosi filii filiaeve generosae qui orsa haec sustentaverint recitaverintque, tum illos homines Adventor propter Evigilati sapientiam omnino noverit, illos omnino videbit eosque omnes innumerorum atque infinitorum decorum perfectionem adeptos.

Subuti, si generosi filii filiaeque generosae existant qui prima diei parte tot corpora eleemosynent quot in Ganga flumine sint arenae, qui media diei parte porro tot corpora eleemosynent quot in Ganga flumine sint arenae, qui novissima diei parte etiam tot corpora eleemosynent quot in Ganga flumine sint arenae, itaque per innumera centies milies decem milies centum milies aeva corporum eleemosynam faciant, at si prorsus homo existat qui auditis his scripturis fideli mente non adversetur, hujus merita illius superabunt. Nedum ille qui haec exscripserit sustentaverit recitaverit alteri explanaverit. Subuti, ut verbum summatim dicam, his orsis sunt inconceptibilia ineffabilia innumera infinita merita ; haec Adventor magnum vehiculum deplicantibus exponit, haec supremum vehiculum deplicantibus exponit. Si homines exstiterint qui haec sustentare recitare alteri copiose explanare potuerint, Adventor illos omnino noverit, illos omnino videbit eosque omnes innumera ineffabilia infinita inconceptibilia merita adeptos. Tales homines scilicet

sese Adventoris eximia recta aequa evigilatione onerabunt. Quanam de causa ? Subuti, qui minore firmamine delectentur, qui personae opinione hominis opinione animantis opinione aetatis opinione adhaereant, haec orsa scilicet audire sustentare recitare alteri explanare non poterunt. Subuti, ubicumque haec orsa exstiterint, cuncti mundi dii homines titani eis oblationibus venerentur. Sciendum est hunc locum scilicet pro monumento fieri, omnes hunc locum honorent salutent circumambulent floribus unguentisque aspergant.

Porro inde, Subuti, si generosi filii filiaeque generosae orsa haec sustentantes recitantesque aliis contemptui fuerint, quia in hoc saeculo contempti sunt, delebuntur quae in prioribus saeculis admiserant peccata, quorum causa in malas vias delabi debebant atque eximiam rectam aequam evigilationem adipiscuntur.

Subuti, memini abhinc praeteritis innumeris anarithmis aevis ante Evigilatam Luciferum octingentis quater milies decies milies centies milies myriadibus Evigilatorum congregari potuisse, quibus omnibus prorsus oblationes offerens servitium praebui neque inaniter illos praeterii. Quod si porro exstiterit homo qui in futuris extremis saeculis haec orsa sustentare ac recitare potuerit, decorum quae ex hoc adeptus erit, meorum quae Evigilatam venerando adeptus sum centesimam partem non attingent, neque decies centies milies millesimam partem neque ullam quae numeris aequiperari possit attingent. Subuti, si generosi filii filiaeque generosae in futuris finalibus saeculis exstiterint qui haec orsa sustentaverint ac recitaverint, si autem merita quae adepti erint accurate exposuerim, nonnulli audientes in cordibus vulpinis dubiis perturbatos increduli fient. Su-

buti, scias horum orsorum dogmata inconceptibilia esse, atque eorum fructus mercedesque etiam inconceptibiles.

Tunc temporis Subutius Evigilato submitte ait : Mundi Honorate, generosi filii filiaeque generosae, deplicata eximiae rectae aequae evigilationis mente, quomodo versari debent, quomodo mentes doment ?

Evigilatus Subutio retulit : Generosi filii filiaeque generosae eximiae rectae aequae evigilationis mentem duplicantes talem sententiam concipere debent : Ego cunctos animantes ad extinctionem ducam ; cunctis autem in extinctione ductis animantibus, ne unus quidem animans alethine in extinctionem ductus erit. Quanam de causa ? Subuti, si salvatori personae signum hominis signum animantis signum aetatis signum esset, is videlicet salvator non esset. Qua de ratione ? Subuti, alethine nullum firmamen est quo eximia recta aequa evigilatio deplicetur.

Subuti, quid de hoc sentis ? Num Adventori apud Luciferum Evigilatum firmamen fuit quo eximiam rectam aequam evigilationem adipisceretur annon ?

– Non, Mundi Honorate. Prout dogmata ab Evigilato exposita intellego, Evigilato apud Luciferum Evigilatum non fuit firmamen quo eximiam rectam aequam evigilationem adipisceretur.

Evigilatus ait : Ita est, ita est, Subuti. Alethine non est firmamen quo Adventor eximiam rectam aequam evigilationem adipiscatur. Subuti, si firmamen fuisset quo Adventor eximiam recta aequam evigilationem adipisceretur, Lucifer Evigilatus

mihi non nuntiavisset quod « Tu in ventura generatione evigilatus fies cognomine Saccamonius. »

Eo quod alethine non est firmamen quo eximiam rectam aequam evigationem adipiscatur, Lucifer Evigilatus ergo mihi his verbis annuntiavit : « Tu in ventura generatione evigilatus fies cognomine Saccamonius. Quanam de causa ? Adventor scilicet 'secundum firmamina' significat. Etsi homo existat qui dicat Adventorem eximiam rectam aequam evigationem adeptum esse, Subuti, alethine non est firmamen quo Evigilatus eximiam rectam aequam evigationem adipiscatur. Media in ipsa eximia recta aequa evigatione quam adipiscatur Adventor, abest alethinum abestque inane. Quapropter Adventor exponit cuncta firmamina omnia Evigilati firmamina esse. Subuti, quae dicit cuncta firmamina scilicet omnia firmamina non sunt, quae de causa cuncta firmamina nominantur. Subuti, comparetur homini magno corpore.

Subutius ait : Mundi Honorate, quam Adventor exponit corporis magnitudinem, scilicet non magnum corpus habetur, idque magnum corpus nominatur.

— Subuti, talis etiam est salvator ; nam si haec dixerit, quod « Ego innumeros animantes in extinctionem transducam », salvator scilicet non nominabitur. Quanam de causa ? Subuti, alethine enim non est firmamen quo salvator nominetur. Quapropter salvator exponit cunctis firmaminibus abesse personam, abesse hominem, abesse animantem, abesse aetatem. Subuti, quod si salvator sic dicat quod « Ego Evigilati terram ornabo », is salvator non nominabitur. Quanam de causa ? Quam exponit Adventor Evigilati terrae ornatio scilicet non ornatio est eademque ornatio nominatur. Subuti, si salvator ad

firmamen sine persona pervenerit, Adventor exponit eum vere salvatorem nominari.

Subuti, quid de hoc sentis : Num Adventori oculus carnalis sit annon ?

— Ita est, Mundi Honorate ; Adventori oculus carnalis est.

—Subuti, quid de hoc sentis : num Adventori oculus divinus sit annon?

—Ita est, Mundi Honorate, Adventori oculus divinus est.

—Subuti, quid de hoc sentis : num Adventori oculus sapientialis sit annon ?

—Ita est, Mundi Honorate, Adventori oculus sapientialis est.

—Subuti, quid de hoc sentis : num Adventori firmaminis oculus sit annon ?

—Ita est, Mundi Honorate, Adventori firmaminis oculus est.

—Subuti, quid de hoc sentis : num Adventori oculus sit annon ?

—Ita est, Mundi Honorate, Adventori oculus est.

—Subuti, quid de hoc sentis : num quae in Ganga flumine sint arenae, eas Evigilatus exponit annon ?

—Ita est, Mundi Honorate, Adventor eas arenas exponit.

—Subuti, quid de hoc sentis : si tot essent Gangae flumina quot arenae in uno Ganga flumine atque tot numeraren-

tur evigilatorum mundi quot essent in his Gangis arenae, num hi tibi plures essent annon ?

—Permulti admodum, Mundi Honorate.

Evigilatus Subutio retulit : Tot multorum regnorum animantes quot varii sint mentibus, Adventor plane novit. Quanam de causa ? Adventor exponit mentes scilicet omnes non mentes esse easque mentes nominari. Qua de ratione ? Subuti, praeteriti mentes adipisci nequitur, praesentis mentes adipisci nequitur, futuri mentes adipisci nequitur.

Subuti, quid de hoc sentis : si quis septenis thesauris qui magnum mundum trimiliarium implerent eleemosynandi causa uteretur, multane merita is hac condicione adipisceretur annon ?

—Ita est, Mundi Honorate, is homo hac condicione per multa merita adipisceretur.

—Subuti, si meritis decoris alethinum quid esset, Adventor non exponeret multa esse acquisita merita. Eo quod absunt merita, Adventor exponit multa esse acquisita merita.

Subuti, quid de hoc sentis : num Evigilatus tota corporali specie percipi possit annon ?

— Non, Mundi Honorate, Adventor non est tota corporali specie percipiendus. Quanam de causa ? Adventor exponit totam corporalem speciem scilicet non totam corporalem speciem esse eamque totam corporalem speciem nominari.

Subuti, quid de hoc sentis : num Adventor totis signis percipi possit annon ?

– Non, Mundi Honorate, Adventor totis signis non est percipiendus. Quanam de causa ? Adventor exponit signorum totalitatem scilicet non totalitatem esse, eandemque signorum totalitatem nominari. Subuti, noli aestimare Adventorem putare : « Ego firmamen habeo quod exponam. » Noli sic putare. Quanam de causa ? Si quis dixerit Adventorem firmamen habere quod exponat, Evigilatum scilicet calumniabitur, quoniam quod exposui non intellexerit. Subuti, firmaminis expositioni abest firmamen quod exponatur, eademque firmaminis expositio nominatur.

Tunc temporis sapiens longaevusque Subutius Evigilato submisit ait : Mundi Honorate, pluresne erunt animantes in futuris saeculis qui hoc firmamen expositum audientes fideles mentes gignent annon ?

Evigilatus ait : Subuti, isti nec animantes neque inanimantes erunt. Quanam de causa ? Subuti, animantes enim Adventor exponit inanimantes esse eidemque animantes nominantur.

Subutius Evigilato submisit ait : Mundi Honorate, quam Evigilatus adeptus est eximia recta aequa evigilatio pro non acquisita habeatur ?

– Ita est, ita est, Subuti. Equidem in eximia recta aequa evigilatione ne minimum quidem firmamen habeo quod adipisci possim idemque eximia recta aequa evigilatio nominatur.

Porro Subuti, hoc firmamen aequale est eidemque tum altum cum humile abest, sic eximia recta aequa evigilatio nominatur. Eo quod abest persona abest homo abest animans abest aetas, cuncta bona firmamina exercetur, inde eximiam rectam aequam evigilationem adipiscitur. Subuti, quae dicuntur bona

firmamina, Adventor exponit non bona firmamina esse eademque bona firmamina nominantur.

Subuti, si quot in magno mundo trimiliario sint Montium Reges Sumerûs, tot septenorum thesaurorum catervis usus erit homo eleemosynandi causa, si autem horum de Sapientiae excellentia orsorum vel tetrastichum homo sustentaverit recitaverit alteri exposuerit, priora merita horum centesimam, decies centies milies centenam milesimam, neque quae ulla comparatione comparari possit partem aequiperare queat.

Subuti, quid de hoc sentis ? Noli aestimare Adventorem putare : « Ego animantes transducam. » Subuti, noli sic putare. Quanam de causa ? Alethine non sunt animantes quos Adventor transducatur. Si animantes essent quos transduceret Adventor, tum Adventori esset persona, homo, animans, aetas. Subuti, Adventor exponit personae existentiam scilicet non personae existentiam esse, at idiotae personam esse censent. Subuti, idiotas vero Adventor exponit non idiotas esse.

Subuti, quid de hoc sentis : liceatne triginta duobus signis Adventorem contemplare annon ?

Subutius ait : Ita est, ita est ! Triginta duobus signis contemplatur Adventor.

Evigilatus ait : Subuti, si triginta duobus signis contemplaretur Adventor, tum orbis sanctus rex ipse Adventor esset.

Subutius Evigilato submisit ait : Mundi Honorate, prout dogmata ab Evigilato exposita intellego, triginta duobus signis Adventor non est contemplandus.

Tunc temporis Mundi Honoratus versibus exposuit :

Me specie qui percipiat
Meque vocibus quaerat
Is perversam viam agit
Nec Adventorem videbit.

Subuti, noli sic putare ! Adventor non propter totalitatem signorum factam eximiam rectam aequam evigilationem adipiscitur. Subuti, ne sic putaveris ! Adventor non propter signorum totalitatem eximiam rectam aequam evigilationem adipiscitur.

Subuti, si putaveris eum qui eximiam rectam aequam evigilationem deplicet firmaminum cessationis signa exponere, ne sic amplius putaveris. Quanam de causa ? Qui eximiae rectae aequae evigilationis mentem deplicat, de firmaminibus signa non exponit cessationis.

Subuti, si salvator quis septenis thesauris qui tot mundos impleant quot in Ganga flumine sint arenae eleemosynam fecerit, si porro homo fuerit qui noverit cunctis firmaminibus personam abesse atque de hoc persuasionem perficere potuerit, salvator hic priorem salvatorem acquisitis decoribus superabit. Subuti, salvatores enim merita decora non accipiunt.

Subutius Evigilato submisit ait : Mundi Honorate, curnam salvatores merita decora non accipiunt ?

— Subuti, quibus operantur salvatores merita non sunt cupienda, quapropter exponitur eos merita non accipere. Subuti, si homo fuerit qui dicat Adventorem seu venire seu abire seu sedere seu jacere, is scilicet quae expono dogmata non intellexit.

rit. Quanam de causa ? Non est scilicet unde veniat Adventor neque est quo abeat, quapropter Adventor nominatur.

Subuti, si generosi filii filiaeque generosae magnum mundum trimiliarium in atomis contriverint, quid de hoc sentis : num haec atomorum moles tibi numerosa videatur annon ?

– Numerosa admodum, Mundi Honorate. Quanam de causa ? Si haec atomorum moles alethine esset, tum Evigilatus eam non exponeret esse atomorum molem. Quanam de causa ? Evigilatus exponit atomorum molem scilicet non atomorum molem esse, eademque atomorum moles nominatur.

Mundi Honorate, quem Adventor exponit magnus mundus trimiliarius scilicet non cosmus est, idemque cosmus nominatur. Quanam de causa ? Si mundus alethine esset, tum is conglomeratus esset. Adventor exponit conglomeratum scilicet non conglomeratum esse, idemque conglomeratus nominatur.

Subuti, conglomeratus scilicet inexpressum quid est, attamen homines idiotae hujus rei cupidi sunt. Subuti, si quis dixerit Evigilatum personae opinionem, hominis opinionem, animantis opinionem, aetatis opinionem exponere, quid de hoc sentis, Subuti : num is quae expono dogmata intellexerit annon ?

– Mundi Honorate, talis homo quae Adventor exponit dogmata non intellegit. Quanam de causa ? Mundi Honoratus exponit ipsitatis opinionem, personae opinionem, animantis opinionem, aetatis opinionem scilicet non ipsitatis opinionem, personae opinionem, animantis opinionem, aetatis opinionem esse, eaeque ipsitatis opinio, animantis opinio, aetatis opinio nominantur. Ei qui eximiae rectae aequae evigilationis mentem deplicat, de cunctis firmaminibus ita sciendum est, ita opinan-

dum est, ita fide intellegendum est, non esse firmaminis signum gignendum. Subuti, quod enim dicitur firmaminis signum, Adventor exponit non firmaminis signum esse, idque firmaminis signum nominatur.

Subuti, si quis fuerit qui septenis thesauris innumeros anarithmos mundos replentibus ad eleemosynandum usus erit, si vero generosi filii filiaeque generosae fuerint, evigilationis mentem deplicantes, qui horum orsorum vel tetrastichum unum tenuerint idque sustentaverint, recitaverint, alteri exposuerint, horum merita illius superabunt.

Quomodo alteri exponatur? Ne signum capiatur atque identidem immotum sit. Quanam de causa?

Cuncta confecta firmamina

Ut somnia simulacra spumae imagines

Ut rores atque ut fulgura

Talia ea contemplare debes.

His verbis ab Evigilato expositis, longaevus Subutius atque monachi monachaeque, oeconomi oeconomaeque, cuncti mundi divi homines titani Evigilati audientes exposita omnes magnopere gavisi fide Orsa de Sapientiae Fulguralis Excellentia acceperunt eaque devote egerunt.

Verba Vera :

Nomen vago vadit

Vagra paromoia itave

Haud irrite his illi sub rota
Bis hagia bis hagia se vacua

Finis